



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Marcellus Lentulo, ut Lepidum Magistratus Candidatum adjuvet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

victoriae suae monumentum populis ostendent.
Ceterum plausus ac triumphos despiciamus, modò
quid plausu dignum ac triumpho praestiterimus;
hoc beati satis, si, quam habet de nobis univer-
sus orbis expectationem, non tueri modò, sed
superare etiam valeamus.

MARCELLUS LENTULO,
*ut Lepidum Magistratus Candidatum,
suffragio adjuvet.*

Commendatitia.

SI quando, Lentule mi, nunc praecipue cu-
perem esse te in hac urbe, & ut sis, etiam
atque etiam rogo. Opus est mihi voti, la-
boris, solitudinis socio. Petit honores Lepidus
noster, petit cum multis, cum bonis, quos ut glo-
riosum, sic est difficile superare. Pendeo ergo &
exerceor spe, atque afficior metu, & ejusdem
videor muneris, quod ambit, esse Candidatus.
Meretur hanc curam longam mei charitate: est
enim mihi cum illo verus necessitas: meretur &
eximijs animi sui dotibus: neque enim novi quem-
quam vel ab indole, vel à modestia vel à probita-
te, vel à prudentia, vel ab eruditione illustrius illo
comparatum. Accedunt multa ipsius in me me-
rita: quibus ex causis exigo, ut venias, & suffra-
gio meo tuum jungas. Permultum interest meam
adesse te mecum, & obire eorum domos, quo-
rum ex arbitrio Lepidi fatum dependet. Ea est
auctoritas tua, ut putem me efficacius tecum
etiam amicos rogaturum. Abrumpe, si qua te re-
tinent. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam

M 2

digni-

dignitas postulat. Suscepi Candidatum, & suscepisse me notum est. Ego ambio, ego periclitator. In summâ, si datur Lepido, quod petit, illius honor; si negatur, mea repulsa est. Vale.

A M I C O

Prematurum Filii sui funus dolenti.
 Consolatoria.

Dolorem tuum quis est, qui non approbet, aut qui dolere tecum ultro non velit? Filium requiris extinctum, ante annos, parentum delicias, spem domûs & gentis inclytæ extremum olim, si vixisset, decus futurum. Hunc tu sedulo vel à teneris educaveras, institueras bonas ad artes adolescentem, tuis ipsius informaveras moribus, & natam mentem ad grandia stimulis acrioribus incitâras. At quo demum exitu, quo parentis gaudio, nunquam laudandus satis Adolescentens tam præclara documenta animo imbiberat? quis illo vidit in rebus acutiùs? quis differtuit peritiùs? quis scripsit elegantius? quis ad omne virtutum genus cupidiùs exarsit? Sed quid ego vel istâ commemoratione refrico fortasse nondum obducta bene vulnera, quibus mederi velim? Quanquam hæc ipsa sunt, quæ lenire parentis ægritudinem & possunt & debent. Viget enim verò, & longum vigebit apud omnes gratissima juvenis optimi memoria. Imò non aberit penitus ab hominum consortio, quem multorum laudibus celebrari identidem audies, & tanquam absolutum quoddam ætatis illius primæ exemplar requiri. Hoc in speculum, ne dubita, diligenter intuentur, quos habes superstites filios.
 Illic